Flemming Iacobus Henricus.

Varsaviensis Collegii Scholar. Piar: Iacobus fulmen hostium —

Autor: Kola Tomi. Dym.

IACOBUS
Fulmen Hostium,
CAROLUS
Imperator Animorum,
AUGUSTUS
Majestas Patriæ;
Illustrissimi & Excellentissimi Domini
D. IACOBI HENRICI
COMITIS, de
FLEMMING,
GENERALIS Campi, ac Hæreditarij Pomeraniæ MARESCHALCI; PRÆFECTI stabuli M. D. L.
Intimi Status Ministri, & Primi CONSILIARIJ
Ordinis Equestris S. JOANNIS, *DIRECTORIS*,
Aquilæ albæ in Polonia, Elephantis in Dania, S. Andreæ in Russia
EQUITIS.

In Schlawentzig, Schlabozewice, Molissyn, Brugscheidungen, Nebra, & Bürgikt &c. &c D O M I N I,
Nec-non
Celsmæ THECLÆ de RADIVILIJS S.R.I. Princi[illegible]
PRIMOGENITUS.
Panegyrico homagio
à Regio Vladislai IV. Varsaviensi Scholarum Piarum Collegio
ADORATUS.
Anno, in quo
Obtinet Augustus Gentis Diadema Polonæ
306 888 251 54 226.

306.
888.
251.
54.
226.
1725.

VARSAVIÆ Typis S. R. M. Scholarum Piarum.

In

ILLUSTRISSIMA DOMUS Utriusq; Decora.



Martius inde *Lupus*, ceras Jovis inde mi-
(nistra
rnat *Avis*, triplici pectus onusta *Tubâ*.
roes, ipsosq; *Joves*, quod nempe ti-
(mendos
gnat *Celsa Domus*, Publica *Fama* canit.

ILLUSTRISSIME
&
EXCELLENTISSIME
Campi
MARESCHALCE.

NOn vulgarem nec communem eam cum cæteris lucis *uſuram Tibi debet, qui non tàm Palatinas faſcias, quàm Magni vota Parentis implet* Infans

A *Illu-*

Illustrissimus, utpote non in populare lumen, sed in Augustos clarissimæ Domûs splendores genitus. Alijs publico torreri sole sufficiat, & vibratis non tàm clarere radijs, quàm atra fuligine decolores infuscari: Flamminios Domestica lux commendat, eademq́ꝫ non summa duntaxat cujuspiam tempora Juli *leviter allambit, sed totos ambit. Non ibo per singula Phænomena Gentis, unus sufficis. Quanto enim luminum meridie solus rutilas, quàm innubi meritorum sudo Rempublicam exserenas, quanto cum fœnore lucis in Patria commoda inquilinam dispensas claritatem, quot atras spissa caligine Nubes (quæ publicam serenitatem inumbraturæ timentur) consiliorum sol discutis, grata confitetur Polonia, orbis suspicit. Vnum est in quo umbras pati non dedignabere, in his videlicet aliquot folijs, dictionem in Tua lumina obscuram, quam tamen à nocte literaria vindicat ipsa*

cla-

claritas argumenti: Prosecuti quippe sumus avitos FLAMMINIORVM splendores, quantùm infirma styli acies concessit, & è Cœlo meritorū, si non ipsa sidera, saltem siderum Parælia traximus. Parces tenuitati Nostræ, si quâ licet formâ Numina fingimus, non quâ sunt. Quia vero Augusto nihil melius offertur quam Augustus! Munus Tibi par suscipe, proprium nec aliunde quæsitum, scilicet JACOBVM CAROLVM AVGVSTVM; Quì Magnitudine Nomina vincat, Annis Sæcula.

Ita precatur

JLLUSTRISSIMÆ & EXCELLENTISSIMÆ DOMINATIONIS Vestræ

Obligatissimum Collegium Varsaviense Scholarum Piarum.

PANEGYRICUS.

ORdire felicibus auſpicijs primam lucem, & clariſſimis Auguſtæ Domûs accede luminibus; Congemina Natalium ſplendore Flãminiorum avitos ignes, & ipſo vitæ diluculo meridiem gloriæ auſpicare *Infans Illuſtriſſime*. Imple faſcias, & ampliſſimis olim prælude faſcibus, Palatinas interim preme cunas, antequam Tibi ſe ſubmittant curules, tinge nutritio parumper lacte labella, cum Tibi muricem Tyrus inebriat, occupa Patritiæ ſinum Lucinæ, an-

tequam Purpureo Patrum gremio coöpteris. Nos interim nè novum terrarum hoſpitem recentis tœdeat coloniæ, dabimus, quibus occuperis, Majorum ex utroq; Parente (ſi tamen Majores illis ſunt) Imagines, non fumoſas quaſpiam, aut aliquâ ab inerti ſitu fuligine notatas, ſed longâ ſuccedentium meritorum ſerie meridiano jubare terſiores. Conferemus pro crepundijs jam magni Genitoris merita, jam Celſiſſimæ Parentis dotes, Muſa deniq; Nutricum ſupplebit modulos Tuis gratioſiſſime Puſio auribus demulcendis.

Verùm in ipſo dicendi limine Tuam mihi precabor veniam, ſi diverſa pollicitis præſtare videbor. Avitas Majorum Tuorum promiſi Imagines, ſed ſtare promiſſis vetat Flãminiæ Gentis ampli-

plitudo, Orbis in calamum influit, Europa paginæ anguſtias ſubit, quà etenim Auroræ baſiantis excuſſus ſinu ampliorem orbi lucem ſol in meridie ſpargit, quàq; iterum non ſui ſed lucis minor majorem in occidente rebus commodat umbram, naſcentis æquè, ac matureſcentis Phæbi per confinia pari luminum, ac ætatum incremẽto FLEMMINGIJ vel Hoſpites adorantur, vel Inquilini. Nulla ſine his gemmis corona, nullum his non nititur ſolium baſibus, nulla adeo Illuſtri Sangvine purpura non erubuit, nulla his Tutelaribus Imperiorum Divis Reſpublica non gloriatur. Ergo aurea Regnorum poma, quib⁹ olim jam ornamento ſunt, & præſidio; imò globũ quendam Orbis FLEMMINGIJS domeſtici, Ti-

 bi

bi tantiſper obtrudere cogor diſtinendo.

Flēmingij exFlāminijs.

Nobiliſſimum hoc Comitum genus, nullis ſæculis extingvendos Romanis illis à FLAMMINIJS duxit ſplendores, quib⁹ neſcio an non meliùs, quàm ſuo Latium ſepticolli eminuit, quoties triumphales Patriæ accenderunt flammas, hoſtibus funeſtis exarsêre pro rogis, quoties in cineres refractariam egêre Carthaginem, & è ſqualidis cineribus Phœnicem raræ proſperitatis Auſoniæ excitârunt. Nec valuit unum Latium tantam Heroum capere gloriam, ut non ſe in alias etiam oras porrigeret, ubi temporibus celeberrimi illius Romani Agricolæ in Britanniam aliqui migrârunt FLAMMINNIJ, ut Provĭcias, quas olim Nominis attonuerant famâ, etiam implerent Præſentiâ. Adeò non

Ex Latio in Britanniam migrant.

non vilem limum, nec rudes duntaxat fluctus, etiam magnorum Nominum Cimelia, & Virorum gemmas in Anglicam Thetydem Toſcanus exonerat Tyberis, dat pretia, pariterq; petit. Hic verò ſucceſſu temporis FLEMMINGIJ vulgari terrigenarum Dialecto nuncupati, adeò per Angliam, Scotiam, Hiberniam non vulgari felicitate diffuſi ſunt, ut prima Provinciarum munia, & Parlamēti ſubſellia, pari ſemper faſcium Majeſtate poſſederint, & ad hunc uſq; diem territorium WIGTHON nuncupatum manuteneant.

Ita dum pulchrè per ſumma his feruntur in Oris, non ſortis, ſed ætatū, ac ſpatiorū declivio, Sæculo ſeptimo ad Inferioris Germaniæ oras devolvuntur. Verū hic quoq; non inferiora ſecuti ſummis non

Anno Imperij Caroli Magni IV. in Flandria illuxerūt.

C ſe-

ſemel eminuêre Magiſtratibus, primos perſæpe exornârunt faſces, dexterrimi rerum Arbitri tenuerunt clavum, ut fœderatis illis in Provincijs honor manum cum FLEMMINIGIJS ſtipulâſſe videatur: non poterant alio meliùs Præſidio publica inſtrui Propugnacula, quamſi his commendarentur Heroibus, unde etiam ad ſæculi uſq; Decimi ſeptimi exordia Arcem WINIGHEN prope Antverpiam poſſeſſionati Hæredes incoluêre. Accedit laudum faſtigio grande momentum: quod cum gloriæ ſatur ac Pompæ, Carolus Magnus Ter-Auguſtos faſces & Inſignia Imperij, Ferdinando Fratri renuntiaret, Magnæ mentis interpres cum Orangio Principe ad Ferdinandum FLEMMINGIUS, fuerit documento quòd non ſeipſos duntaxat in Re-

gna

gna ſed etiam Regna in alios noverint transferre.

Invidere brevi hæc decora Flandris aliæ Provinciæ & ſine FLEMMINGIJS, inferioribus oris minores ſe ratæ certatim eoſdē ad honores impetrârunt. Hinc eſt, quòd *Albertus Vrſus Marchio Brandemburgicus poſtquam Vandalos ſuis è finibus propuliſſet, ad ampliſſimas ditiones FLEMMINGIOS invitavit, & voti cum ſumma voluptate Compos Jlluſtriſſimis Hoſpitibus excipiendis Territorium ad Elbam diffuſum, quòd Magdeburgo propiùs adjacet, FLEMMING à Novis poſſeſſoribus nuncupatum,* perpetuâ donatione inſcripſit. Neq; hic ſtetit Magna Domus, *Turingia Nigromontana, Pomerania* pari faſciū invidiâ ſalutârunt FLEMMINGIOS, ultima tamen hæc Provincia Heroibus Noſtris Jlluſtri-

Ex Flandria in Pruſſiam ab Alberto Urſo invitātur.

In Pomerania Mareschalci Nobilitatis perpetui.

ſtrior ubi Hæreditario jure primam Mareſchalci Nobilitatis Dignitatem, perpetuâ ſucceſſione in Poſteros derivandam, ante 430. Annos adepti ſunt, & hucuſq; à præfati muneris primo Poſſeſſore *Tham FLEMMING* nuncupato, ducta ſerie gloriosè per manus traditis faſcibus manutenent.

Hodieq; aurea hæc libertatis ſimili frondeſcit planta metallo, Digniſſimis in manibus Jlluſtriſſimi Generalis Campi ſimulq; Pomeraniæ Mareſchalci Parentis Tui, Tibiq; pullulat in Virgas & Sceptra Dominantium. Obfirma manum Puſio clariſſime & antequam grandium Provinciarũ integritatem Avito Scipione ſuccolles, membrorum infirmitatem eodem tantiſper fulci, ibis quâ Regiam Tibi trivere majores, illud

lud

lud ſe jam dextris ingerit geſtamen, unà cum abſoluto in liberas voces & voluntates Imperio, quod innumeri geſsêre Tui Aborigines, quod gerit hodieq; ad ſolatia Polorum Magnus Genitor, vel ſi mavis virenti immarceſcibiliter, & in mille frondes meritorum latè totâ Europâ ſeſe explicanti Paterno Scipioni flos accede Purpurarum, antequam in fructus honoris, & honeſtatis matureſcas.

Egit Prodromum idem ſcipio FLEMMINGIIS è Pomerania in Poloniam & ad primas dignitates iter oſtendit; longum eſſet cẽtum quinquaginta recenſere & amplius annos, quos diſtinxêre curulibus, ut planè per faſces numerentur Avi, Actis Palatinatûs Culmenſis Caſtro Wſchovenſi inſertis.

In Polonia Annis 150. amplius florent.

D Nec

In Sveciam Ducũt Coloniã.

Nec Sveciam tantæ felicitatis exſortem paſſus, cui ſæculo XV. exſpirante Magnos Spiritus *Claus FLEMMING Claſſis Præfectus & Supremus Gubernator Finlandiæ*, inſpiravit. Ducem Ericum comitatus ipſe Dux tanti Nominis in hæc Regna, ubi ad titulos Comitum, & Baronum primitus ab eodem Erico inductos, primus cum ſuis fuit. Hìc quoq; licet ſub Arcto, ſat amplum gloriæ cãpum ſibi aperiri cenſuerunt JUAR FLEMMING Regni Conſiliarius, & Supremus Claſſis Sveticæ Præfectus, LAURENTIUS FLEMMING Supremus Gubernator Livoniæ, qui vixit Anno 1561. NICOLAUS FLEMMING Generaliſſimus exercitûs, HENRICUS FLEMMING Mareſchalcus Finlandiæ proximũ noſtro ævo ornamentum claruit 1685.

1685. una cum Fratre Suo CLAUS FLEMMING Supremo Camerario, adeo nullum incolunt Heròés ſolum, quo non colantur. Habuit FLEMMINGIOS etiã Norvegia hoſpites, & fecit Hæredes, ubi ditionem *Naſſau* poſſidendam obtulit, ſalutavit territorium Lavemburgenſe, & gloriatur inquilinis. Et verò in Jlluſtriſſimo Campi & Pomeraniæ Mareſchalco, Parente Tuo pondus acceſſit parœmiæ: *omne ſolum Viro forti Patriam eſſe*, niſi addendum putarem etiam omne ſoliũ, adeo quippe videntur FLEMMINGIOS, adamâſſe Regna, ut invicem ſibi ſua ſolatia eripiant, & ubi unius Provinciæ explevêre deſideria, alterius vota irritant. Sumit Venuſini hinc quoqué Authoritatem aſſertio: *Fortes creari Fortibus, & bonis bonos;*

poſtquam non modò per regna leges Majores Tuos, verùm etiam per Patres Regnorum, ubi Divos Heroas, qui te propiori cognatione attingunt, recenſuero.

Iacobus Flēming Mare-ſchalcus Pomeraniæ Proavus.

Adoro grande Nomen, & Numen IACOBI FLEMMING Mareſchalci Pomeraniæ; Proavus Tuus is eſt, quem gloriâ ſimili Nepos orbi reſtitues; duos ille Tibi dedit Avos, ſed plurimam cum ijs gloriam, GEORGIUM GASPAREM ſcilicet & HEINONEM HENRICUM; Ille: Intimus Pruſſiæ Conſiliarius ac Supremus Judiciorum aulæ Præſidens fuerat, quem pulchrâ prole beatum hactenus veneratur Orbis, in Jlluſtriſſimo IOACHIMO FRIDERICO hodie Sereniſſimi Poloniarum Regis Generali, Jlluſtriſſimo ac Excellentiſſimo IACOBO HENRICO Generali Cā-

Georgius Gaſpar, & Heino Hēricus Avi Illuſtriſſimi Infantis.

Patruus Illuſtriſſimi Infantis.

pi

pi, & Pomeraniæ Mareſchalco Actuali Intimo Statûs Miniſtro, & primo Conſiliario, Ordinis Equeſtris S. Joannis Directore, Aquilæ albæ in Polonia, Elephantis in Dania, S. Andreæ, in Ruſſia Equite celeberrimo Parente Tuo Honoratiſſimo, cujus encomijs aliquid addere detraxiſſe eſt: ac tandem in Excellentiſſimo BOGUSLAO BODONE *Comite de* FLEMMING Generali Lieutenanto. Is: *Heino ſcilicet* HENRICUS apud Archiducem Brandenburgicum Ducatûs Pomeraniæ, ac Principatûs Kamin Gubernator ævi ſui Heroum anima hoſtium exanimator, cui vix tota vetuſtas parem conferet, nec ſeſe Comitem Mavortius addet Romulus, utpote Heros hic, per palmas diſtinxit annos, toties vi-

E ctor

ctor quoties pugnavit, quoties processit, non jam cum Perseo fugientia munera rosas, sed duraturas in ævum lauros elicuit, nũquam manum conseruit, quin palmas sereret, nunquam evaginavit ensem, quin meteret triumphos. Felicissimus apud Saxones & Brandeburgos Generalis Campi Mareschalcus, Supremus auxiliarium Copiarum Dux, quas Elector Brandeburgicus Poloniarum Regi Michaeli adversus Turcas submiserat, contra Otthomãnum oppugnantem Viennam primus cum sex millibus suorum montem *Kallenberg* conscendit, barbarorum unicum asylum, & virtute solâ Major, hostium innumeram multitudinẽ multo inferior numero deturbavit faustissimo ulterioris succesſûs auspicio. In Bello Gallico Urbes octo

HeinoHẽricus Heros gloriosissimus.

octo Triumphatorem adorârunt, ſemper grandium Copiarum Dux grandium Prodromus trophæorum. Meritò Comitum dignitate ab Imperatore, una cum Illuſtriſſimo Fratre ſuo GEORGIO GASPARE in ſeros ab utroq; derivandâ Nepotes auctus, utpote quem pulcher honos, quem gloria Comes, quem mille conſectavêre triumphi.

Pridem æternitatem inter Semideos mereretur, niſi ævum hactenus producere voluiſſet in Illuſtriſſimo Paternæ dexteritatis hærede, ac æmulo calentiſſimo JOANNE GEORGIO Comite de FLEMMING Ordinis S. Joannis equite, Copiarum Sereniſſimi Regis & Reipublicæ Generali Majore. Js quoq; ut Magna Heroi portio ſangvinis non deſinit glorioſos Majorum ampli-

Ejus Filius Ioannes Georgius Comes de Fleming Clariſſimis Colligationib9 Illuſtris.

 pli-

plificare faſtos novis in dies recte geſtis, & palmas cumulare palmis, trophæa trophæis. Auget & Ampliſſimam Claris Domum Nepotibus Jlluſtriſſimæ CATHARINÆ SIGRIDI de BIELKIN clarioribus thædis adſtrict⁹, qua ex Inſigni Proſapia duæ Reginæ Svæciæ Sangvinem Coronârunt, quidni ſoles Pariat ſolijs toties Affinis Mater, & ne Regia poma deeſſe quiſpiam crediderit, ſupplet illa Avitum PRZEBENDOWSCIORUM Inſigne in Jlluſttiſſimo Regni Theſaurario, qui Hymeneo ſuo gemmam debet, Cleopatræo Cymelio Clariorem, non rubri Maris quodpiam ſpolium, ſed Magni FLEMMINGIORUM Sangvinis Natam Erythræo.* Altera hæc eſt Jlluſtriſſimi Generalis Soror, quæ poſſet ternionem Charitum augere, niſi

Conſors Jlluſtr. Catharina Sigris de Bielkin, Magnæ Proſapiæ decus, Eius Parens fuerat Gubernator *Pomeraniæ*, & in exercitu Cæſareo Generalis Campi Mareſchal. qui A. 1686. Supr. Exerc. Bavar. regimē tenuit.

Sorores Illuſtriſs. General. altera Illuſtriſſimo Regni Theſaur. altera Excellentiſſimo de Schack Generali ſtationū Magiſtro Connubiali fœdere juncta.

nisi illæ fabulosæ essetis, hæc verior tota Gratia. Non Paride, sed cœlo judice PRZEBENDOVIANUM huic pulcherrimæ debebatur pomum, vicissim hæc PRZEBENDOVIANO gemma Thesauro. Alteram verò Jllustrissimi ejusdem Generalis Sororem Excellentissimo de Schack Generali Stationum Magistro pulchro fœdere junxit amor.

Alto venerabor silentio reliqua conjunctarum Prosapiarum Phænomena; non numerabo proxima syderibus astra SANGUSZKORUM in Celsissima è SANGUSZKONIBUS RADIVILIA Cãcellaria M. D. L. SAPIEHANUM in Jllustrissimo Palatino Brześćianensi, BRANICCIORUM per Jllustrissimam è RADIVILIJS BRANICKA Jllustrissimi Vexilliferi Regni Consortẽ, Illustrissimæ Domꝰ Colligatæ

F cu-

curiosâ non ſcrutabor pupillâ affines POTOCCIORUM ſoles, ŁESZCZYNIORUM, SZEM-BEKIORVM, KOSSORUM, KCZEWSCIORUM, CZAPSCIORUM, GRUDZINSCIORUM, WILMSDORFFIORUM, Comitum HORNARORUM, Comitum MANTEVFELLIORVM, VOLFIORVM, BORKARVM, ABRAMIORVM, WEDELIORVM, GINTEMBERGIORVM Magna Nomina & Numina. Satis eſt dixiſse quòd orbem innexum affinitatibus teneant, Regna numerent Conſangvinea. Regna dixi? fallor! Reges dixiſſe debueram, eoſq; non ſemel nec uno Nomine Cognatos. Quippe præter *Sveciæ Solia* ut ſupra innuimus, in Jlluſtriſſimis de Bielkin obſtricta, non aureum duntaxat Pomum ab Otthone III. ſibi

Affinitas cum Regibus Sveciæ ex Comitibus de Bielkin Thraciæ ex Prze-

bi collatum PRZEBENDOVIJ communicavêre FLEMMINGIJS, Avita quoq; *Thraciæ Sceptra* inferunt, quæ olim in *Pribantis* seu *Priantis* tulêre. Regnat hodieq; Jllustrissima Prosapia hæc in Procerum Cordibus, imò ipsius AUGUSTI deliciæ audit, & gratia JOANNES. Aliunde quoq; ad FLEMMINGIOS Coronæ pertinent, nempe per Jllustrissimam de RADIVILIJS Parentem Tuã, quã non Avita duntaxat Palæmonis Regna comitantur, etiam Principẽ Familiam Poloniæ exornavit Diadema in Serenissima olim BARBARA RADIVILIA Sigismundi Augusti Augusta Consorte, imò recentiùs hac in Domo proximæ splẽdescunt Coronæ, invictissimi nimirum Poloniarum Regis JOANNIS III. Quantùm is æstimaret

bẽdovij. Poloniæ. ex Radivilijs.

RADIVILIOS Duces vel eô probavit, quòd Serenissimam Sororem CATHARINAM MICHAELI RADIWIL exercituum *M.* D. L. Duci in Regij pignus amoris sociali thædâ ducēdam concessit.

Radivilianæ Domûs honores.

Palæmoniorum Ducum antiquissima hæc Gens, habet Honori suo virentes Celsissimæ Prosapiæ arbores, ut temerariùm videatur uno folio amplissima velle coarctare Nomina, quæ in Sacrā pene Sylvam excreverunt. Leget admirator orbis in illa, velut aureos Hesperidum Fructus, NICOLAUM II. NICOLAUM III. NICOLAUM VI. NICOLAUM VIII. CHRISTOPHORUM I. CHRISTOPHORUM III. JOANNEM XI. Vilnēses, GEORGIUM Trocensem, SIGISMUNDUM JOANNEM Novogrodenses Pa-

Palatini.

Castellani.

Palatinos; JOANNIS I. JOANNIS III. GEORGII IV. JANUSSII ALBERTI Vilnenſes, & innumeras aliorum Caſtellanas Curules. Virent æternaturo decore laurea ſerta, WOYSZUNDI NICOLAI I. ſub Jagellone ad *Zamoſciam*, NICOLAI II. GEORGII I. cognomento *Victoris*, NICOLAI V. JOANNIS I. GEORGII agnomine *Hoſtici*, CHRISTOPHORI I. CHRISTOPHORI III. JOANNIS XI. ALBERTI IV. MICHAELIS I. & quàm plurium Belli Ducum, qui ipsâ hoſtium ſtrage meliùs eminent, quàm vel ſuis olim in curribus Æmiliani. Effloreſcit non naturæ ſed grandiū meritorū ingenio Auguſta Arbor NICOLAO Samogitiæ, ALBERTO I. Vilnenſi, GEORGIO pariter Vilnēſi, poſt Cracovienſi Præſulibus,

Supremi Exercituum M.D. L.Duces.

Præſules.

G in

in Sacerrimos Scipiones, Purpureis, id eſt maturis honoris Cardinalitij fructibus in GEORGIO quoque exornata. Frondeſcunt veriùs quàm Sybillæa in Planta aureæ Mareſchalcorum Virgæ *GEORGIO ac JOANNI primo, STANISLAO, ALBERTO, ac NICOLAO ſecundis, GEORGIO Hoſtico, NICOLAO VI. STANISLAO III. ALEXANDRO I.* in ornamentum. Gemmant Cãcellariæ Gemmæ, præter SZYRPUTIUM, ALBERTUM, NICOLAUM II. NICOLAUM III. NICOLAUM V. ac ſextum, DOMINICUM I. MICHAELEM I. & quàm plures; etiam recentiùs in Celſiſſimo Principe CAROLO STANISLAO Avo Tuo ex Jlluſtriſſima Parente, M. D. L. Magno Cancellario. Non pote-

Supremi Mareſchalci.

MagniCãcellarij & Procãcel:

poterant meliùs Regni Aquilæ, quàm RADIVILIORUM Alitis in nido cõſediſſe; nõ digniùs ſignatoria gẽma, quàm Aureis CAROLI STANISLAI manibus inſeri, Viri non unâ eloquij parte, ſed totius Gemmei. Jlli ſcilicet pretium ſine pretio, Jlluſtriſſimam THECLAM è RADIVILIIS FLEMMINGIAM Parentem debes, quæ uti Dijs genita, ſic pariter genitura Deos. Avia Tua non ſemel Celſiſſima, ſivè SANGUSZKONUM Purpuras, ſivè RADIWILIANAS ſpectaveris Mitras, incomparabiliter Celſior Dotibus, Pietate CLOTILDIS, Prudentiâ CORNELIA, Majeſtate AUGVSTA, omnium decorum collectione PANDORA. Veniet ſerò tandem illa ætas, ut quæ nunc profano eloquio non ſatis pro-

dignitate extollitur, olim in Clarissimarum Heroidum albo primas occupet, postquam exæquaverit longævitate Cumæas, gloriâ Lacænas. Quòdsi ipso dignitatis contemptu fascibus celsiores, prosequi Oratione libeat? innumeros, quos summi honores ambiverint, reperias, qui eosdem expetierit, rarissimum imò neminem: numerabis, nisi numeratorem copia fatiget? spretas curules, frustrata votis stalla, plurimosq; leges, qui pari contentione renuntiârunt fascibus, quâ offerebantur. Sed habe jam non Orationũ pigmẽtis, sed vivis virtutum coloribus Jllustres Majorũ quas promisimus Imagines, quibus umbras duntaxat sæpiæ adjecisse sufficiat: nunc ad merita accedamus.

Merita Jllustrissimorum

Alijs de Patria mereri satis est; FLEMMINGIIS de Orbe Universo

verſo proprium, quemadmodum enim vix ulla pars mundi vacat eorum incolatu, ſic nulla officio: nullam Provinciam hi luſtrarunt Soles, niſi illuſtrarēt meritis, rectè geſtorū meridie ſerenarent; nullū deducti Magni ſangvinis rivi alluerunt ſolum, quin fæcundarēt ingentium pro bono publico ſemente factorum: Quibus ego ſingulis ſi vectigalem pennā cōmodare voluero, non bene ſole clariora opera, atrâ ſæpia pro geſtorum ſplendore depingam. Exigunt nihilominus gratam ſtyli memoriam grandia in Patriam obſequia; verùm hìc ita etiā moderabor dictionem, ut nec ſingulorum, nec ſingula quæ in faſtos excreverunt, proſequar, ſed ſummatim duntaxat per capita attingā. Præterea nō vetera FLEM- Flemmingiorum.

MINGIORUM ornamenta memorabo: Venerabor à longe RICHARDUM de FLEMMING Anno 1552. Tractatûs inter Poloniam ac Pomeraniam, & Ducatum Meklenburgensem Magnũ Arbitrum. Alto silentio prosequar JOANNEM HENRICUM de FLEMMING Anno 1622. facundum in Regno Tullium, an veriùs Hortensium, non rosas, sed pacis loeas loquentem, qui toties Alcyonia pacis fecit Poloniæ, quoties Verba. Tacebo, quem nunquam grata silebit recordatio, EUSTACHIUM FLEMMING ad pacta Olivensia Commissarium Studio pacis clarissimum, grande Consiliorũ momentum; non reducam ab armatis Ordinibus, ad confusos versuum ordines, à vocalibus lituis ad literas, à vagina ad paginam HE-

HEINONEM HENRICUM Supremum Auxiliarium Copiarum Ducem, quas Archi-Dux Elector, Michaeli Regi contra Turcam submiserat, sydus in Ecclypsim Otthomanicæ exortum Lunæ. Non mille Magnorum Nominum texam Catalogum, qui omnes Series Clypeata Virorum toties protexerunt Rempublicã, toties Polonam firmaverunt Aquilã, quoties militares suas moverunt. Nam sat ingens mihi panditur æquor, & cui vix meam securè committo liburnim, *Illustrissimi* scilicet *Generalis Campi* ac Pomeraniæ *Mareschalci*, Gloriosissimi *Parentis Tui* grande meritorum pelagus, & inenavigabile fretum, quod novis indies augescit incrementis. Agam hic tamen, quod minores grandi in Oceano remiges, non illico

Merita Illustrissimi Campi Mareschalci.

in altum exiguâ procedam phaselllo, non illico vaſtis illius fluctibus vela credam, è littore duntaxat immenſam contemplabor abyſſum, non remis ſed contemplatione emetiar; ſin minùs profecero, ſuæ imputet magnitudini.

Regem Sereniſſimũ Auguſtũ II. ſua activitate Electoribus perſvadet.

Et quidem ut inde ordiar, unde ſua ſolatia ducit Mater Eccleſia, ſuam felicitatem Patria, idem meritorum Jllius Caput eſt, quod & Poloniæ Coronatus Vertex hodie Sereniſſimus AUGUSTUS II. Rex Poloniæ Catholicus, idem & Patriæ Pater, & verus Orthodoxæ Sedis Filius. Perſvaſit Pijſſimo Principi Religionem FLEMMINGIUS, perſvaſit & Regnum, eumq; viciſſim Reipublicæ Regem non ſine Numine Divum inſpiravit. Quantus is eſt! cui vix Polonia retroactis in Regibus parem vidit, tot in unum

cola-

collatis Divino beneficio mune-ribus, quæ ſi in ſingulos diſper-ſa eſſent, unumquemq; magnum factura videbantur. Habet in hoc unitim Polonia, quæ in Uni-verſis, vanorum ſæpe jactatrix de-mirata eſt Roma! quid enim eſt JULIUS in Hiſpania, SCIPIO-NES ad Carthaginem vel Numã-tiam, AUGUSTUS ad Actium? il-lis cum hominibus duntaxat res fuit, huic etiã cũ feris, vel ſi quid ampliùs omni humanitate poſi-tâ, barbari feritatis habent. Quo-ties tamen ab his vindicavit Polo-niam, Annibal ad *Cameneci* Alpes glorioſior? palã eſt orbi integro. Saxum illud tot Heroũ Polonorũ fatale mortibus, ipsâ Præſentiâ Turni Noſtri Sereniſſimi urgen-te ceſſit, non jam Polonis, ſed bello ſepeliendo; ſine armis Vi-ctor, ſine ſignis Triumphator, mo-

rem Cæſaris redorſus: *venit, vidit vicit AVGVSTVS Pacificus*. Non jam miramur ALEXANDRUM *ad Caucaſum*, LUDOVICUM Galliæ ad *Rupellam*; Illis multo Sangvine conſtitit gloria, huic incruenta obuenit Palma, tantò illuſtrior, quantò nullis ad manes tranſmiſſorum umbris ſtipata.

Pietas Sereniſſimi. Nunquã ita pro libertate Scævola, pro Religione Numa, pro Capitolio zelavit Manlius, ac Noſter AUGUSTUS *Pius* pro Aris Orthodoxis. Præteribo tot Principes ipſo *Sereniſſimi* Exemplo, pluſquàm Apoſtolicâ felicitate, meliori fide Superis obſtrictos, Tacebo tot pares capiendo Numini baſilicas ædes, vel ipsâ vetuſtate collabentes, Auguſtis manibꝰ vix non humeris ſuffultas, à lõgè veſtigia pronꝰ adoro Regiæ

E-

Exemplaritatis, in recolendis salvationis Nostræ Mysterijs studiosissimæ. Tacebo, ne Domini turbem Secretum, Novum in Eremo CAROLUM : demissam non semel ex alto solij Culmine, ad egenorum lavanda vestigia Majestatem, dextras triumphales, quibus tot implantavit laureas, in rudium plantarum pellenda eluvie occupatas, & ministratas Iro Dapes, & affusam Pauperum discumbentiũ manibus lympham, aliorum relinquo calamis, quibus pro Majestate Argumenti AUGUSTUS celebrabitur *Sanctus*: Justissimã adversus temerarios sectariorũ ausꝰ severitatem nõ tacebo, quâ nuper Divorum Divæq; Matris egit Causam, AUGVSTVS *Justus*; Aris Divos, Divis asseruit Religionem, Religioni Templa, Templis Mystas red-

Viazdo viæ ad Varsaviã *Calvariam ponit.* Ibidẽ Exercitia spititualia peragit.

Sacrilegos Thorunenses plectit.

 didit

didit, ut quæ olim fabuſoſo Jovi non ſine vana aſſentatione dedit vetuſtas Encomia, Huic adinvẽta videantur, *Statoris* Divinæ Gloriæ, *Vindicis* læſæ Religionis, publicæ deniq; felicitatis *Aſſertoris*.

Diû Jllum terris cœlum commodet. Acta D. Auguſti vincat & annos, ac quamdiu mortalis erit, nihil ex Auguſta Domo ſua tale ſentiat. Rectorem Liberæ Genti Filium longa fide approbet, & priùs Conſortem Patris, quàm Succeſſorem accipiat; abſtine manus Tuas Fortuna,

nec

nec in eo potentiam Tuã nisi quà parte prodes, ostenderis: hoc unum à Te votis publicis privatisq; precamur, ut Illum sicut generi humano, ita Tibi quoq; Sacrosanctũ velis, & intactum. Sera, & demum nepotibus nostris dies nota sit, quâ Illum gens sua cœlo asserat: Sydus hoc, quod præcipitato, & in profundũ demerso Orbi effulsit, sẽper luceat. Hic Portam diu clausam teneat, nova suæ fortitudini Regna aperiat, & priorũ Regũ,

& ſuos ducat triumphos.
Hæc ſunt quæ pro ſuo Tiberio Cordubenſis, & quæ pro ſalute AUGUSTI *ſui* juſtiùs concipit Lechia, votivo Calamo nonnihil immutata.

Ulteriora merita Illuſtriſſimi Campi Mareſchalci.

Hunc itaq; ſolij Solem, Phoſphoro debet FLEMMINGIO Sarmatia, hanc Principum Gemmam Illius ſalſo ſudorum oceano, huic innumera in Rempublicam beneficia, illi beneficiorum gratias immortales. Sed has non diu moratus, priora mox ſequentibus meritis cumulavit. Illius Fortitudini adſcribimus *Livoniam* & *Rigam* à Svecorum uſurpatione vindicatam, Illi ſalutem Patriæ, cui inteſtinis ægræ diſcordijs egregius curator proprium ſangvinem propinavit ad *Pinczoviam*, ſaucius fortiter dimicando. Illius pluries Legati in

n Daniam, Berolinum, Brunſvicum, feliciſſimæ dexteritati, altam, quâ hactenus gaudemus pacem. Sileant monumenta de bellantē inter menſas ALEXANDRUM; quod illi propudio fuit, *Glorioſo Heroi* noſtro decus eſt: vicit quippe pari artificio *Jlluſtriſſimus Campi Mareſchalcus* potentum corda, poſtquàm Berolini Regem Pruſſiæ Regio ſanè exceptum apparatu, cum Univerſa Aula plùs triginta millium expenſarum convivio, ad commune fœdus pertraxit, cùm proximo anno ad idē Auguſtiſſimū Imperatorē induxiſſet. ut jam illi⁹ Induſtriâ, ſecura *Portæ*, ſecura ſui, profundo pacis conticinio Lechia glorietur. Præteribo cætera Jlluſtria facta, ne ſolem indice monſtrare videar. Tacebo *Tractatûs Pacifici Lublinenſis* ſtrenuas

promotiones, præteribo defen-
ſam à Svecorum impetitionibus Daniam, tot bella glorioſo coronata triumpho, plura raris artibus, antequàm in flammam erumperent ſuppreſſa, plura cùm erupiſſent reſtincta, non promptiùs Illi hæc omnia facere licuit, quàm vel nobis ſcribere ſit conceſſum. In hæc exempla, in hæc Decora Naſceris IACOBE CAROLE AUGUSTE, Patriæ virtutis interim Hæres, olim poſt quàm per ætatem licuerit, non ſegnis æmulator futurus: Nos nō aliud precamur, quam:

DIj Tibi dent Annos, à Te nam Cætera ſumes,
Cùm Natus Patrios imitâbere grandior auſus.
Æmilium Paulumq; geres; Te gloria Magni
Cæſaris & fortuna manet. Tibi cedet uterq;
Scipiades, Aſiæ, Numantinosq; triumphos.
Eóás Macedo palmas revireſcere cernet
Te Ductore novas, Tu Caſpia mármora (quondam)
Euxinumq; premes; Tanais Tibi dives Hebruſq;
Ser-

Serviet, & Domino, prono se gurgite Balthis
Affundet. Reddes Mutios, Fabiosq; Latinis,
Luce nec hos omnes unâ cecidisse docebis
Ipse superstes adhuc. Pœnis nova pœna futurus;
Tu veterum laudes, Tu par revocare novorum
Gesta Ducum; Tu factaDomûs Jllustria Magnæ
Et Consangvineas facies succrescere laurus.
Heròüm Proceres unus virtute refinges,
Semideumq; genus, quod viderat hactenus orbis.
*RursumLunigeræ trepidabunt*HeinonaGentes*, Heino Flemming inTurcas.*
Inq; triumphales se Cynthia *colliget Arcus*
Cornua submittens. Jam Cui servire Leones
Noscent Arctoi, noscet Gryphs *ipse rebellis.*
Jam video, quæ Regna Tuus sibi destinat ensis,
Sub Iuga quos populos, quæ coges littora Nerêi,
Quot fluvios, Victor, Rhodopæo sangvine tinges,
Quas palmas, quæ bella geres, quæ præmia laudis
Virtutisq; leges! pones quæ & quanta trophæa.
Ante tamen per scuta puer reptare Parentis,
Disce per & laurus, oculos nunc pasce trophæis
Ante manus, hic nempe leges quæ exempla sequaris
Quos æstus, tenero foveas quas pectore flammas.
O Columen sublime Domûs! spes optima gentis!
Quot votis celsas Superum pulsabimus Arces,
Ut Te Præsidium Patriæ cum Nestore servent
Incolumem, longo Magnis Genitoribus usu.
Non adeò Cœlum nobis reor esse sinistrum,
Non adeò parcè sua volvere pensa Sorores

Ut non longa Tibi protendant ſtamina vitæ.
Vivet, & immenſos vincet Flamminius Orbes,
Vivet, & Aonijs creſcet centeſima plectris
Materies laudum non ceſſatura ſuarum.